



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Instructio practica ...

Institutiones Qvintvplicis Theologiæ - Positivæ videlicet, Asceticæ,
Polemicæ, Speculativæ, & Moralis complectens, Unà cum Appendice
Methodum compendiarium reformationis Ecclesiasticæ à Concilio
Tridentino factæ continente

Lohner, Tobias

Dilingæ, 1679

Art. I. De Processione Creaturatum à Deo.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48233](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48233)

...antia; nam relictis mer gimus, & perimus; visitati verò
...gimus, & vivimus.

CAPUT III.

DE OPERE SEX DIERUM.

De hoc plerumque nihil Theologi in Scholis dicunt, sed
Philosophis & S. Scripturæ Interpretibus in primis Ge-
nesios capitibus ea, quæ S. Thomas à quæstione 43. tractat
de hac materia, discutienda relinquunt. Quia tamen ea
non semper vasat in Authoribus, utpote fusiùs disputa-
re, à Scripturæ verò Professoribus rariùs hæc mate-
ria tractatur, non oberit, breviter ea quæ S. Thomas & im-
pud. Theologorum libri de hoc opere sex dierum disputant,
inducere.

ARTICULUS I.

De Processione creaturarum à Deo.

I. Hanc quæstionem S. Thomas statim post absolutam
materia de Deo subjungit, & postea primum de produ-
ctione Creaturarum Spiritualium, id est, Angelorum, &
corporarum, seu Univerſi in specie tractat. Quia tamen
Materia de Angelis plerumque fusiùs discutitur à Theolo-
gis, ideo ut ea magis simplex, & inter se conjuncta foret,
peramque etiam separatur à reliquis quæstionibus, & ea,
quæ S. Doctor de processione creaturarum in genere disputat,
in hoc loco breviter indicantur. Itaque de Creaturarum pro-
cessione in genere hæc ferè quæstiones à S. Thoma propo-
nuntur.

II. Q. 1. *Verum sit necessarium, omne ens à Deo pro-*
ducatur? Resp. S. Doctor q. 44. a. 1. affirmativè; cum enim om-
nis creatura habeat esse per participationem, necessariò
illud accipere debet ab ente, cui tale esse per se, & essentia-
liter convenit; tale ens autem est unicus Deus.

III. Q. 2. *Verum Deus sit causa Exemplaris omnium*
res? Resp. S. Thomas l. c. a. 3. iterum affirmativè; eò
quòd omnis res producenda juxta Ideam à producente con-
ceptam fieri debeat; solus autem Deus in sua infinita sapi-
entia

entia Ideas omnium rerum possibilem contineat, ut primo capite ostensum est.

IV. Q. 3. *An Deus sit causa finalis omnium rerum?* Resp. S. Doctor a. 4. affirmativè; eò quòd omne agens propter finem agere debeat, ne casu omnia fieri dicantur; sed autem finis agentis & patientis esse debeat; ergo, cum res versa propter seipsum creaverit Deus, meritò omnium que causa finalis dicitur.

V. Q. 4. *An productio creaturarum sit communis Trinitati?* Resp. S. Thomas q. 45. a. 6. affirmativè, eò quòd producere aliquid, proprium sit agenti secundum essentiam spectato; essentia autem in Deo sit communis omnibus Personis. Per hoc tamen non negatur, quòd divinæ Personæ secundum rationem suæ processionis habeant causalitatem respectu creationis rerum; cum enim Deus ut supremus Artifex per verbum intellectu conceptum, quod est secunda Persona; & per amorem suæ voluntatis, qui est tertia Persona, omnia operetur, meritò processionem Personarum dicuntur rationes productionis creaturarum.

VI. Q. 5. *An in omnibus creaturis reperitur exemplum Trinitatis?* Resp. S. Doctor a. 7. cum S. Augustino affirmativè, eò quòd quælibet creatura subsistat in suo esse, ut sic repræsentet suum principium, atque adeò Personam Patris, qui est principium sine principio, demonstrat. præterea habeat quandam formam seu speciem, & ut repræsentet secundam Personam seu Verbum, quatenus forma artificati oritur ex conceptione & Idea Artificis. Et denique habeat ordinem ad aliquid aliud, ob quem concepta fuerit facta dicitur; & per hoc repræsentat amorem Dei, tertiam Personam, ex quo ad operandum movente omnia procedunt.

ARTICULUS II.

De creatione Mundi.

I. Occasione hujus tituli S. Thomas q. 46. & cum aliis Theologis fusè hoc loco de creatione disputant, an facta sit ea sit ens distinctum à Deo aut creatura; item an sit propria Deo, ut nulli creaturæ communicari possit potest.